

Nicolaus Rhodomann

Carmen Heroicum In Natalem Salvatoris Et Redemptoris Nostri Unici Jesu Christi ordientem Annum 1603

Rostochii: Myliander, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728224135>

Druck Freier  Zugang



Nicolaus Rhodemannus

Carmen heroicum in natali Christi
1603.

Rostock 1603.

Ca

3534

69-3534

41

CARMEN HEROICVM
IN NATALEM
SALVATORIS ET
REDEMPTORIS NO-
STRIVNICI
JESV CHRISTI
ordientem Annum

1603.

Conscriptum à

M. NICOLAO RHODOMANO P. L.

Esai. 7. v. 5.

PARVVLVS NATVS est nobis, & filius da-
tus est nobis & factus est principatus super hu-
morum eius, & vocabitur nomen eius ADMI-
RABILIS consiliarius Deus fortis pater futuri
seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus impe-
rium, & pacis non erit finis: super folium David
& super regnum eius sedebit, ut confirmet illud
& corroboret in iudicio & iustitia à modo & usq;
in sempiternum. Zelus D O M I N I exercituum fa-
ciat hæc.

ROSTOCHII Typi Myliandrinis. Anno 1603



Prudentissimo amplissimoq; Viro

DN. MARTINO ANDREÆ
Reipub. Stralsundensis Senatori & Came-
rario fidelissimo adfina meo ho-
norando.

Speculatissimo Doctissimoq; Viro


DN. GEORGIO TOM FELDE
eiusdem Reipub. Centum-Viro
prudentissimo.


NEC NON

*Ornatissimis Doctissimisq; juvenibus
viris,*

Dn. IOACHIMO ANDREAE & GE
ORGIO TOM FELDE junioribus LL
Studiofissimis.

*Dominis fautoribus & amicis colendis bene-
volò animo infelix novi anni au-
spicium strenua loco offert
autor.*





R

*Em moveo sanctam: Pietas iubet incli-
ta laudes*

FMMAN Vel resonare tuas: mysteria
versu

*Si potis heroo est complecti sacra, Thalia.
Sed forsan potis est: hoc vates namquè solemnis
Aut superum laudes canere; aut praecoma Regum,
Et memorem factis illustribus addere famam
Qua licet, hanc sequimur normam (cognosce) Poeta.
Et superum laudes canimus; praecoma Regis,
Colla cui Reges cunctos summittere par est
Et praelustria sunt, famam quibus addimus, acta.
Non oleas extra hoc tento: qua persequar, huius
Sunt festi, locus hic dictat sacra carmina CHRISTI
Sed quos, quos hausisse sonos, mihi visus ab alto?
Qui caetus, quorum visi per inane volatus?
Aera qui voluser pictis exercitus alis
Cantibus involvit? pueri toto aethere visi
Aligeri: Cantus responsant undiq, montes,
Personat Angelicis, exultat plausibus aether,
Et nova diffundunt densas nunc cymbala nubes.
Clarius ut solito sudo labentia caelo*

A 2

Astra

Astra micant, æterni ignes fulgore coruscant.
Voce una astrigeri resonat domus aurea cæli,
Voce unanimiti reboant latè ætheris orbes :
GLORIA SIT IOVÆ, SUMMO SIT GLORIA JOVÆ
PAX SIT ET IN TERRIS, toti pax aurea mundo
Incubet, astringant hominum concordia mentes.
Uincula, sit mens una, cor unum, eademquè voluntas.
Hæc audisse mihi visus, vidissequè visus,
Vel vidi audiuiquè, recens mihi vellicat aurem
CHRISTUS Apollo: Quæ vidi jam, aduerte, docebo.
Nos juvet Angelico consortia jungere catu,
Natalem celebrare juvet, pueri ADMIRANDI,
Natalem pueri iuuet admirarier huius,
Quo MIRABILIOR non extitit, ADMIRANDUS
Ortus, conceptus, MIRANDI Quæ utriusque parentes.
MIRANDVS vitæ cursus, Mors atquè triumphus.
Omnia percurrisse vetor: non esse disertis
Tam nobis licuit: Pueri cunabula CHRISTI
Sit satis; humanis indutum carnibus olim
VERBUM sat fuerit nobis memorare canendo.
Summa sequi sat sit nobis fastigia rerum.
VERBUM ipsum, de quo sermo est, nos sponte iuvabit.
Quæ verò tacitam movet admiratio mentem?
Tantane, quo tenera prodit de matre puellus,
Hic partus miracula tulit? quæ patria BETHLÆ,
Mœnia

27

Mœnia parva tuens, parvis habitata colonis,
Agresti culmoq; & carice tecta palustri,
Non domibus, non ampla foro, non splendida cultu,
Quæ præfert miracula? Domus quæ regia natum
Excepit puerum, cui tegmen canna palustris,
Hospitium, extremo, casulæ pars parva, recessu?
Cui fortunæ inopis, sortis tenuisq; parentes?
Cui scenum pluma est puero, præsepia cunæ?
Expertes fastus cunæ: non scilicet ulla
Arte laborata, fulgenti haud ære micantes.
Non Arabum gemmis, non argentoq; superba,
Nil mirum cunæ, quibus hic sine divite cultu
Molle caput stipula fultus, sine velleris usu
Aut mollis plumæ, crassis puer inq; volutus
Fasciis teneri deponit corporis artus.
Tempora si reputes, glacialis frigore bruma,
Cum tenebræ noctem densant, paucissima lux est,
Nascitur in stabulo: non est quæ scemina partum
Vlla regat, nulla est, Lucina vel Flithyia.
Quanam igitur miracula crepas, mysteria partus
Insolitos? quodnam volupe est tibi pandere factum
Mirum, indictum, insuetum, ingens? miracula sensu
Nulla ego cerno meo: verpus forte inquit Apella;
Sic aiunt nostro qui tempore vana professi
Calvorum recoquunt subtilia formia vatum.

A 3

Confie-

Confieri VERBUM qui CARNEM posse negarunt,
In CHRISTO humanam stirpem, Numen ve negarunt.
Aut quibus hoc unum studio, aut solviffe liganda
Aut miscere fuit solvenda, aut turpiter ambas
Naturas volupe est vel confudisse, vel amplas
Quas CARNI tribuit VERBUM sustollere dotes.
Divinos CARNI quis sancta demere cultus,
Et traxisse HOMINI, qua dat DEUS: impia vatum
Corda, sudes quibus est MESSIAE gloria in oculis,
Quem minima extolli, nimis, indignantur, amari:
Nunc (Satanae extremos conatus serne) decentes;
Non re CHRISTO HOMINI, debere aptarier ipsa
Propria qua VERBI sunt, nomina nuda relinqui.
Non corpus sacra in cana praeberier ipsum,
Sanguinis haud potum, sed symbola nuda relinqui.
Non isthac, non turba Dei mysteria sentit,
Non admiratur miracula, dogmata spernit
Dum Divina suo metitur mystica sensu
Sed benè habet, sensu mysteria prendere VERBI
Si cupias, sensum perdes, sensuq; carebis.
Si ratione velis, ratio tibi consona deerit.
Cernere non isthac sensu, non mente sagaci,
Non ratione potes: nostros fugientia sensus
Scilicet ad fidei normam deducere praestat,
Omnia sub fidei praestat ratione probari.

Sunt

22

Sunt potius, sunt magna IOVÆ mysteria, verbo.
Sunt nobis patefacta IOVÆ mysteria partus.
VERBum verus HOMO, verus DEUS, unus utrumq;
Nascitur, & puer in teneros se colligit artus.
Aeterni proles patris, atq; æquæna propago.
Fit CARO nostra IOVÆ patris INSCRUTABILE VERBum,
Fit sine labe CARO non ENARRABILE VERBVM.
Induit humanos artus MIRABILE VERBVM.
Natura est dispar, persona at hypostasis una est.
VERUS HOMO, VERUSq; DEUS, MIRABILIS ille est.
Mater virgo fuit, tactus ignara virilis,
Solaq; virgineum servavit facta pudorem,
Virgine matre satus puer ADMIRABILIS ille est.
Patria si non est & splendida, dives & ingens
Est NATO præclara DEI domus Euphræa.
Nec cuius decor ullus abest, sub pondere tanto
Sub quo terra tremat spaciøsa, mare, amplaq; abyssus.
Cui soli, quæcunq; unquam potis esse, potestas
Concessa est puero, cælo, terraq; mariq;
Nobile cui cessit super omnia nomina Nomen.
Quod cælum tremat, & tellus, quod regia Ditis.
Cui genua assurgant, genua accurventur ubiq;
Sive polo vivant, terrenove orbe morentur,
Sive adeo stygij latitent sub faucibus orci.
Nomen id augustum, puer ADMIRABILIS ille est.


Paucis

*Paucis, quæ volui, videor scripsisse. Supersunt
Quæ dum vita manet brevis, admirabimur, ævum
Perq̄ omne, æternam vita, quæ sola vocanda est
Vita, salus, requies durans perfecta triumphus.
Quando pijs coràm dabitur pueri **AD MIRANDI**
De facie ad faciem per secula cernere vultus,
Alloquioq̄, frui superùm: miracula **JESV**
Mirari, amplecti **JESVM**, pasciq̄, fruiq̄
Ipsius æternum celebrare, sonare triumphum.
Hoc da, **CHRISTE**, precor: voti hæc est summa precumq̄,
Interea in statione pia nos **CHRISTE** gubernæ.
Pastores da **CHRISTE** bonos, missosq̄, gubernæ,
A stygio, defende lupo, rege protege, serva,
Donec in ætherea cœli septemplex aula
Unâ, uno pastore, uni includamur ovili-*

F I N I S.



Sunt potius, sunt magna IOVÆ myster
Sunt nobis patefacta IOVÆ mysteri
VERBum verus HOMO, verus DEUS,
Nascitur, & puer in teneros se colligit ar
Aeterni proles patris, atq; æquana propaga
Fit CARO nostra IOVÆ patris INSCRUTA
Fit sine labe CARO non ENARRABILE
Induit humanos artus MIRABILE
Natura est dispar, persona at hypostasis
VERUS HOMO, VERUSq; DEUS, MIR
Mater virgo fuit, tactus ignara virilis,
Solaq; virgineum servavit facta pudor
Virgine matresatus puer ADMIR
Patria si non est & splendida, dives &
Est NATO præclara DEI domus Es
Nec cunis decor ullus abest, sub pondere
Sub quo terra tremat spaciōsa, mare, at
Cui soli, quacunq; unquam potis esse, pot
Concessa est puero, cælo, terraq; mariq;
Nobile cui cessit super omnia nomina Non
Quod cælum tremat, & tellus, quod re
Cui genua assurgant, genua accurrentia
Sive polo vivant, terrenove orbe more
Sive adeo stygij latitent sub faucibus orci
Nomen id augustum, puer ADMIR.



the scale towards document

m,
M.
M.
est.
est.
sus.
est.
mucis